

Altera est in via,
Altera est in patria.

R. à Diuo Thoma, quòd cognitio est duplex.

Si loquamur de cognitione via, nulli dubium est, quòd non possumus per formas, & similitudines rerum peruenire in diuinæ essentia cognitionem, cum nulla sit proportio, & sic coniungitur ei quasi ignoto: At si loquamur de cognitione patriæ, ubi forma nostræ cognitionis erit essentia, videbitur clarissime, quia ostendet se nobis.

Cognitio
dupl.

CONTRA probatur, quòd licet se ostendat, nihilominus non potest videri.

Argum. 3. Sicut calor est principium calefactionis, & principium visionis est color, sic forma, & similitudo obiecti est causa intellectus, & visionis. At nulla similitudo diuinæ essentia potest esse in Beato. Igitur non poterit videri, nec cognosci. Maior est manifesta. Quoniam similitudo monet potentiam quam informat. Minor patet, quoniam diuina essentia cum sit summa simplex, non habet similitudinem. Igitur.

R. quòd argumentum non valet.

Obiectum
dupl.

Ratio est in promptu. Quia similitudo requiritur propter distantiam obiecti, & sic currit ratio. At in visione diuinæ essentia non requiritur, quoniam est omnibus presens: est presens, quoniam est infinita, ideo clarissime apparet omnibus beatis. Ideo S. Thomas dicit, quòd ibi non erit medium quo, nec in quo, sed solum medium sub quo. Non erit medium quo, id est forma, sicut si quis vult intelligere lapidem, nec erit medium in quo. Vt quando videmus speculum in quo est imago per quam venimus in cognitionem imaginati, vt per effectum in causam: sed est medium sub quo. I. lumen gloriæ. Nam lumen corporale eleuat potentiam visiuam ad videndam omnem obiectum in generali: & lumen intellectus agentis ad eleuationem intellectus possibili, quo fit omnium capax. Sic per lumen gloriæ eleuatur intellectus Beatorum ad videndam essentiam diuinam, 2. p. q. 92. ar. 1. Ideo Dauid dicebat: In lumine tuo videbimus lumen.

Mediam
tripl.

CONTRA probatur, quòd nullo modo possit eleuari ad visionem.

Argumentum quartum. Diuina essentia est infinita. Ergo non potest cognosci: ergo nec videri. Antecedens verum. Conseq. probatur. Omne infinitum, vt infinitum est ignotum ab intellectu. Ratio, quia quod videtur, & cognoscitur proportionatur potentij. At infinitum non habet proportionem cum potentij. Igitur.

R. quòd proportio, & infinitum est duplex.

Alterum est infinitum priuatiue,
Alterum infinitum negatiue.

Infinitum priuatiue dicitur illud, quod caret actu in quo omnis cognitio, & hoc modo materia dicitur in se infinita priuatiue, quoniam caret omni forma in sui essentia: Physi.

Infinitum
dupl.

& sic currit argum. Infinitum verò negatiue est illud, quod negat materiam, & omne potentiam, & est actus simplicissimus, vt diuina essentia, & sic fit visibilis, & cognoscibilis. Sic dicimus de proportionem. Nam conuenientia obiecti cum potentia est duplex.

Altera dicitur proportionis,
Altera proportionabilitatis.

Conuenientia proportionis respicit quantitatem in quantitate. Id est aequalitatem recipientis cum recepto: Vnde quale est receptum, tale fit recipiens. Vt quantum est Balsamum,

Conuenientia
dupl.
Vel propor
tio.

tantum sit vas: & quantum est vinum, & dolium, & sic currit argumentum, quòd inter essentiam, & intellectum Beatorum non est conuenientia: Si verò consideretur conuenientia quo ad proportionabilitatem, dico quòd reperitur. Nam proportionabilitas respicit modum, & vim potentia recipientis, & eo modo quo est obiectum se offert, & sic videtur. Hoc modo diuina essentia se manifestat Beatis secundum proportionabilitatem, secundum eorum capacitatem. Et sic illam vident.

CONTRA probatur, quòd non possit dari ista conuenientia proportionalitatis.

Argumentum quintum. Sensus nullo modo potest pertingere ad videndam creaturam spiritualem, vt Angelum, vel spiritum: Ergo nec intellectus poterit ascendere ad visionem diuinæ essentia. Antecedens est manifestum, quoniam sensus non videt nisi quantum. Consequens probatur. Nam plus distat Deus ab intellectu, quam spiritus à sensu: Cum Deus sit infinitus, & spiritus finitus. Ergo.

R. quòd aliquid distare ab altero est duplex.

Vel quo ad substantiam,
Vel quo ad officium.

Si consideretur quo ad substantiam, certum est, quòd magis distat Deus ab intellectu Beati, quam Angelus à sensu oculorum. Et ita argumentum viget: Si verò consideretur distantia, quo ad

Distare
dupl.

munus, dico magis distat sensus ab immateriali, & spiritali, quam Beatus intellectus à Deo. Ratio. Intellectus natus est intelligere quodcumque spirituale, & immateriale, sensus autem est incapax. Ideo nulla ratio.

CONTRA responsionem, & probatur, quòd sensus non sit incapax, quo ad officium.

Argumentum sextum. Dicit Scriptura, quòd Iob oculo suo Deum vidit. Ecce. Auditui auris adiuuere: nunc oculus meus videt te: At Deus est spiritus. Idem. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Idem August. 22. de Ciuit. Dei. Vis præpotentior erit oculorum Beatorum, non vt acrius videant, quam vt Aquilæ, & serpentes, quæ solum corporalia vident, sed vt videant incorporea. Igitur spiritualia. Nam vt corporalis corporalia, sic oculus Beatus spiritualia.

Iob. 30.
Iob. 19.

R. quòd oculus est duplex.

Alter corporalis,
Alter spiritalis.

Si consideretur oculus corporaliter, certum est, quòd non potest videre Deum: Si autem spiritaliter consideretur potest videre, & videt.

Oculus
dupl.

Ratio.